

ctandos, quam solent febrium intermittentium. Quamvis enim non tantum præ se ferrent calorem, quantum febres vulgares intermittentes; cum tamen regulariter adeo, uti mos est istiusmodi febrium, procederent, cumque insuper non omnes intermittentes, proprie sic dictæ, eundem observant caloris modum, omnes tamen eodem remedio, Cortice sc. Peruviano, debellentur; statui famosissimo illo specifico hunc affectum aggredi (intercalatis tamen medicamentis supra memoratis, utpote quoniam alte mihi insederat notio dicta de acidis succorum dyscrasia;) Nec fefellit eventus: Postquam enim duas vel tres istius corticis doses ante totidem paroxysmos, pro more tunc temporis (mihi saltem) solenni, exhibueram, sensibiliber ferociam suam deposuerunt, tandem continuata ejusdem exhibitione prorsus evanuerunt, nec, quantum mihi rescisse contigit, postmodum redierunt.

*Historia Convulsivi Affectus octonariam periodum à multis annis observantis, per Clariss. D<sup>num</sup>. Gui. Cole, M. D. descripta & communicata.*

**D**orothea Cook vidua, sexagenaria, Cossopola Vigorniensis, a triginta sex annis (triduo post nuptias) Epilepticis, nulla notabili *μεθόδω* corripit cœpit; qui quamvis sub morbi initium frequenter, nullo tamen ordine, recurrebant. Invasio tam subita erat, ut quæ & aliis & sibi perfecte sana videbatur, noctu oculi in humum,

num, mente protinus orba, concidere solet: quo in statu postquam velut exanimis, nullis agitata convulsio- nibus, per aliquot horæ minuta jacuerat, discussa tan- dem nebula ad se rediit. Aliquot post menses circa ple- nilunium & novilunium, imo sæpius in die istis tempori- bus, invadebant paroxyſmi, & ad duos vel tres dies recur- rere perseverabant; reliquo interlunii tempore bene ha- buit. Post pauculos inde menses, qui prius duarum fere septimanarum observaverant periodum, tandem bis in- tra singulas, sed inæqualiter æquali distantia, diebus sc. Jovis & Saturni, cursus suos repetebant. Brevi post nup- tias gravida facta est, foetumque solito tempore peperit, qui non ita multo post Epilepticus fato functus est; se- cundus item partus eodem modo periit: sed licet plures postmodum utriusque sexus liberos enixa fuerit, nullus tamen eorum ad hunc usque diem vel minimum ejusmodi effectus insultum perpeſsus est.

Per tres circiter annos memorato ordine (variis licet tentatis remediis) invadere persistebant paroxyſmi, do- nec tandem Empirici cujusdam plurimum decantato, nescio quo, remedio disparuerint, nec per aliquot menses redierunt; usque dum novi terroris occasione (ante po- tius, ut videtur, sopiti quam persanati) recruduerint. Hinc ad idem remedium iterum confugiebat: sed quod pridem tantopere profuerat, nunc nil levaminis attulit. Nihilominus secunda vice doctissimi, perque multos an- nos apud *Vigorniam* merito celeberrimi, D. *Johnson* nu- per defuncti) ope à morbo brevi convaluit, atque sana perstitit adusque famosum *Vigornienſe* prælium, anno 1651 dimicatum; quando, capta à *Cromwellio Vigornia*, dum ubique mors & horror sæviebant, ipsa (non secus ac cuncti præterea incolæ) immani terrore perculsa, pri- stinorum insultum paroxyſmorum iterum subiit; qui ex- inde irregulariter primo, & frequenter invadebant, postea sensim ad veterem redibant periodum. Dehinc varia, & à præfato D. *Johnson*, & ab aliis, usurpavit re- media,

media, sed incassum omnia. Postquam per biennium inde typo isthoc recurrere perstitierant, tandem præ consternatione iterata diem invasionis mutarunt, atque primum bis hebdomadatim, tandem sola die *Dominica* (commotionis ansa isthoc die forte-fortuna ablata) ad hoc usque tempus invaserunt. Cujus quidem periodi, & symptomatum progressus sequenti modo se à tot annis habet.

Die Jovis circa vesperam invadere incipit dolor in vertice, nec non pulsativus circa ossis sacri regionem, qui die Veneris, altius paulatim serpens, medium occupat dorsum: Vesperi diei Saturni immanior evadit (multum etiam urgente fiti) & pauculis, postquam se in lecto composuerit, horis ad humeros usque, sensim auctus affurgit; quo ubi pertigerit, quæ prius interdum domestica obire valuerit munia, nunc sese vix omnino in lecto commovere audet, quod si, nisi admodum caute, sategerit, extemplo paroxysmum (secus non nisi post plures horas invasurum) eumque multo severiorem, certo accersit. Parum hac nocte, præ dolorum molestia dormit, qui caput nunc atrocius infestant: Horum cruciatus mane in turbulentam somnolentiam transit, cujus etiam causa toto die Dominico à lecto abstinere nequit; nempe matutinis horis dormitat quidem, sed inquiete, atque aliquoties è somno expergiscens potum exposcit, quo sumpto se iterum somno tradit. Hora circiter duodecima, si non sponte evigilet, astantium interpellatione excitatur, cibosque monita sumit, rerum omnium circa se transactarum adhuc probe conscia: dein statim in somnum relabitur (nisi verius animi torporem dixeris, quippe nec excitari amplius potest, nec cujusvis rei nunc actæ memoriam retinet) cum frequenti corporis in lecto jactatione; quo ad sextam præterpropter horam vespertinam detinetur. Hac hora ingruunt convulsiones, sed interpolatæ, ad horas quinque eam exercentes; quæ primo mitiores, tandem circa horam undecimam maxime

ime violentæ evadunt; per quarum intervalla oblatam Allam (tenuiorem enim potum ipsa, dum mente constat, vetat sibi in paroxysmo porrigi, noxam inde ventriculo imprimi experta) avidè haurit. Elapsa hac hora redit, qua per tot horas caruit, mentis usura, omniumque deinceps agendorum notitia, verum reliqua noctis parte se irrequieta in cubili jactat, profus infomnis. Die Lunæ, circa horam nonam matutinam, lecti tædium non amplius tolerare valens, ex eo surgit, sed toto die universo corpore dolet, & quamvis hoc die sat libere domum suam obambulet, jurisque nigri pocula hospitibus propriis manibus ministret, artus tamen rigidos quasi, adque motum parum aptos queritur, qui tandem somni placidissimi, sequenti nocte obrepentis, mulcedine torporem deponunt (nulla tamen accedente, sive per sudorem, sive urinam, sive alio quocunque modo, saltem sensibili, critica evacuatione; ut pronum mihi sit conjectare, materiam, ex cerebro detrusam, à sanguine resorberi, in fermentum pro novo paroxysmo excitando denuo maturandum) duorumque hinc vel trium dierum induciæ conceduntur, donec novo aggesto fomite eadem denuo adornatur symptomatum scena. Nulla à multis retro annis admittere voluit remedia, utpote eorum infructuosa administratione tamdiu, ante hac lassata. Unum præterea fati rarum occurrit, quodque forte mente eam minus constare suspicionem daret, nisi ubique notum esset, nervoso genere affecto, notabiles inde impressiones in animum fieri: Nempe à longo tempore persuasam habuit se, si extra fores se proriperet, paroxysmo confestim tentandam iri, proinde se intra proprios parietes continenter per aliquot annos clausit; cum vero ante viginti annos præ importuna sollicitatione vicini cujusdam ædes cœnatum adiret, statim atque in illas se receperat in eum, prout mens ominata fuerat, extra usitatam periodum incidit, ut necesse habuerit domum reportari, ubi solito graviolem perpeffa est. Exinde

de nunquam extra limen suum excessit, nisi cum ædes ante octodecim annos (in cathedra deportata) novis mutaret, quo momento, licet haud statò recursus die, invasere paroxyfmi, perque decem dies continuos, bis in singulis invadentes, perfistebant, donec tandem ad solitum redierint tenorem; Veruntamen pedem unum extra limen imò totum corpus, modo pollicis pedis summum apicem intra limen detinuerit, exerere & audet & solet; integro autem corpore vel latum unguem inde excedere nec audet, nec ullo pretio obtinueris, non si talentum obtuleris. Cum olim famosus ille Chiriater *Greatarakfius Vigornie* ageret, ad hanc adductus est, ut quid in tam raro affectu valeret ipfius manus experiretur: illa autem, audito hunc eo consilio appuliffe, nondum tamen viso, in graviffimum paroxyfimum incidit, qui non ante septimum ab insultu diem eam deseruit. Interea toto hoc tot annorum curriculo nullam extra paroxyfmos vel intellectus, vel functionum cæterarum animalium, notabilem læsionem passa est, quin (cum bono, adque pinguedinem vergenti, corporis habitu, vultuque florido) non minus expeditè, pro ratione ætatis, negotia domestica, adque eam quam exercet vocationem spectantia, exequi videtur, quam si nullo omnino, præcipue capitis morbo laboraverit.